Fragmentarium

dicebat anime sue: Anima mea multa bona
habes reposita in annos plurimos etc. Cui
dictum est: Stulte hac nocte repetent ani-
mam tuam a te, que autem parasti cuius erunt. Hec est
ergo scientia in qua consistit vera sapientia
id est contemptus terrenorum. ¶ Item est appeti-
tus celestium et eternorum, que simul docuit
nos dominus noster et magister noster exemplo et verbo.
Exemplo quando ostendit in seipso quatuor
dotes corporum glorificandorum. Dotem cum
claritatis ostendit quando in monte Thabor
transfiguratus coram discipulis ostendit
dotem claritatis que erit in corporibus glorifica-
tis, quando facies eius apparuit clara
sicut sol et vestimenta eius alba sicut
nix. Item dotem impassibilitatis et in-
mortalitatis ostendit eis resurgens
a mortuis, unde sicut dicit apostolus: Christus
resurgens ex mortuis iam non moritur
et mors illi ultra non dominabitur. Item dotem
subtilitatis ostendit eis quando intravit ad
discipulos ianuis clausis. Item quando vi-
dentibus apostolis in corpore et anima ascendit
in celum ostendit eis dotem agilitatis.
Iste erunt quatuor dotes corporum glorifica-
torum quas ostendit dominus discipulis suis
de se in seipso, ut doceret eos de se
appetitum eternorum. ¶ Docuit etiam idem
verbo cum dixit discipulis suis: Vos qui
reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum
accipietis et vitam eternam possidebitis.
Item alio loco: Beati eritis cum maledixe-
rint vobis homines et persecuti vos fuerint
et dixerint omne malum adversum vos menti-
entes propter me, gaudete in illa die et ex-
ultate quoniam merces vestra copiosa est in
celis. Item: Nolite timere pusillus grex
quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.
Sic ergo patet quomodo dominus noster et magister noster
docuit nos verbo et exemplo veram sapien-
tiam que consistit in hiis tribus, in respectu
terrenorum et contemptu [illegible]
terrenorum in appetitu eternorum. Et tan-
gitur in auctoritate supradicta. Item quod de

Inveni sapientiam si posuero etc. Ecce autem in
hiis tribus consistit vera sapientia patet etiam et
auctoritate Iob sic: Nam vera sapientia est
scire fugere ea que sunt homini noxia et mortifera.
Certe nichil est homini noxium et mortiferum
nisi peccatum, ut patet per beatum Gregorium qui
dicit in quadam collecta: Nulla nobis nocebit
adversitas si nulla nobis dominetur
iniquitas, id est nullum peccatum. Ergo pec-
catum est homini noxium. Item quod peccatum sit homini
mortiferum patet per apostolum qui dicit: Stipendia
peccati mors. Item Ezechiel propheta: Anima que pec-
caverit ipsa morietur. Et David in psalmo: Mors
peccatorum pessima. Item opus sapientie est scire
precia rebus imponere, id est scire appreciari
res secundum valorem earum sic. Et quia mo-
mentanea parvi valoris sunt secundum philo-
sophum in libro topicorum qui dicit quod magis
appetenda sunt bona diuturni temporis quam
bona parvi temporis. Cum omnia bona terrena
sint momentanea, quia in momento perduntur,
et bona celestia sint eterna, quia ab hiis qui
habent ea numquam amittuntur. Et apparet
manifeste quod vera sapientia consistit in
contemptu terrenorum et in appetitu bonorum
¶ Item hoc idem probari auctoritate
Senece qui dicit: In prudentis animo tribus
quibus dispensetur tempus: presentia
ordina, futura provide, preterita recordare.
Qui enim de preteritis nichil cogitat vitam
perdit. Qui autem futura non providet in
omnia mala incautus incidit. Secundum hanc
sententiam vera sapientia est presentia ordinare,
recordari preterita, providere futura. Ergo ve-
ra sapientia est in tribus in auctoritate beati
Ieronimi supradicta. Quantum ad preteritorum re-
cordationem spectat penitentia peccatorum. Ad
presentium ordinationem spectat appetitus
terrestrium. Ad futurorum provisionem spectat
appetitus eternorum. Et quia deus et dominus
noster Ihesus Christus docuit nos ista tria
et exemplo et verbo, quando dum conversatus est
nobiscum in mortali carne, ideo scire pos-
sumus quod ipse est magister noster verissimus.

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 12v – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69221)